



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 11. De desiderio, quo Deus tenetur, vt ab hominibus diligatur; & de
præcepto in hac re ab ipso lato, & auxilijs præmijsq[ue] quæ
obsequentibus offert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

emptus, qui vobis euenerint, eò quòd vestro dilecto fideles fueritis. O Dilecte cordis mei, da mihi charitatem, tuam in his quatuor proprietatibus similem, vt tali spiritu te in hac vita diligens, perueniam ad te fruendum, & te amandum in altera, in æternum, Amen.

MEDITATIO XI.

QVOD DEVS DESIDERET ab hominibus amari, de quo etiam præceptum statuit, & auxilia, ac præmia offert.



VAMVIS ex D. Thomæ sententia, magis proprium sit ^{2.2.9.27.2.} charitatis, amare, quam amari: nihilominus infinita Dei charitas non est contenta, si ipsa nos amet; sed summè desiderat, à nobis amari; non sui emolumenti, sed nostri potius causâ: ideoque, vt iam diximus, præuenit nos amando, vt nos ad redamandum prouocet: quia amare est efficax motiuum redamandi. Hoc desiderium, eiusque efficacia & excellentia apparet in rebus aliquibus, quas in subiectis punctis indicabimus.

PUNCTVM. I.

CONSIDERANDVM primò, quòd Deus Dominus noster desiderans ab hominibus amari, singulare præceptum ea de re ediderit, mādans: *a Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, cum omni videlicet perfectione, ipsis possibili, nullā apposita mensurā amoris. Nam modus amandi Deum, est amare eum sine modo & termino aliquo; tantoque amor erit melior, quāto fuerit maior. Et quo apparet, quā sit Dei amor erga nos infinitus. qui enim cupit amari sine mensurā, idque, ut faciamus, præcipit; signum est, ipsum in amore suo, & in benefaciendo nobis, minimum non habere. *b Deus enim diligens te diligit; & quò quis magis eum diligit, & ipsi illum; eò maiora bona illi confert.* nam omnia dona cœlestia procedunt ab amore Dei erga nos: ad quæ recipienda, disponimur per amorem, quem erga illum habemus. O Amator dilectissime, siquidem adeo cupis, ut sine modo amem: da mihi quod iubes, ut implere possim quod desideras. *Diligam te, sicut diligor à te; diligam te, sicut vis diligi, & diligam te, sicut iubes diligere.* Hinc magis concipiendam huius præcepti de amore opinionē, quā ipse Christus insinuavit se habere, cum illos appellavit, *c primum & maximum mandatum.*

*a Deut. 6. 5.**Matt. 22.*

37.

*S Thom. 2.**2. q. 44. &**q. 24. a. 5.**Ex S. Bern.**de diligendo**Deo.**b Prou. 8. 17.**c Matt. 22.*

37.

Marc. 12. 30

idque

idque multas ob causas. *Prima* est, quia ponitur tanquam fundamentum reliquorum, estque verè spiritualis vitæ fundamentum, & radix omnis perfectionis: & propterea dixit Apostolus, *ut dessemus fundati, & radicati in charitate.* Item est primum dignitate, quia iubet supremum actum virtutis, quæ est in vita Christiana, hoc est *e charitatis, quæ maior est quàm fides, & spes, & ceteræ virtutes,* quæ, absque hac, sunt velut mortuæ, iuxta illud Apostoli, *si charitatem non habuero, etiam si habeam reliquas virtutes & scientias, nihil sum.* Item est primum hoc præceptum, quod attinet ad meritum: quia charitas est prima causa nostrorum meritorum coram Deo; sine qua nullum opus nostrum aliquid meretur apud Deum, dicente Apostolo, *et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* ad meritum scilicet vitæ æternæ. Est quoque primum in suavitate & dulcedine; nam ex charitate oritur omnis *suavitas gregis Dei, & leuitas oneris legis ipsius;* propter illam *hæc inuaduntur gratia non sunt:* est quæ proprius eius effectus gaudium in Spiritu Sancto. Est etiam primum in efficacia, quia est causa obseruationis reliquorum præceptorum; & propterea dixit Christus Dominus noster, ab eo *impendeat vniuersam legem & prophetas,* & Apostolus dicit: *in plenitudinem legis esse dilectionem.* Denique etiam est primum in intentione,

d Ephes. 3. 17

e 1. Cor. 13.

13.

f 1. Cor. 13. 3

g Matth. 11.

30.

h 1. Ioan. 5. 3

i Matt. 22.

40.

k Rom 13.

10.

1. Tim. 1.5.

1. Corin.

16.14.

propter quod Apostolus dixit: *In finem præcepti esse charitatem*; quia omnia præcepta ad charitatem tendunt, ad quam tota nostra intentio est dirigenda; & illa debet omnia opera nostra comitari, iuxta Apostolum dicentem, *in omnia vestra in charitate fiant*, ut eorum bonitas sit perfecta. Propter has & alias causas magni oportet facere hoc præceptum, quod **CHRISTVS** Dominus noster, gravissimis verbis sæpe nobis commendavit; ideoque par est, me ad perfectam eius observantiam serio excitare: quæ observantia in duobus consistit: in remouendo, scilicet quocunque amore, & re quavis, quæ charitati aduersetur, aut illam remittat; & in applicatione serua, ad exercenda quæcunque illam augent & promouent. O amator æterne, ut te *ex toto corde* diligam, mortificans in eo quidquid est amoris proprii; ut solus remaneat amor tuus; diligam te *ex tota voluntate* mea, negans illi quidquid illa vult; ut expleat quæ tu vis; diligam te *ex tota anima* mea, retinens oēs passiones mearum appetitionum, ut oēs eius affectus eant post te; diligam te *totam mentem* mea, abnegans iudiciū meum propriū, & captiuans intellectū meū in obsequiū tuæ fidelitatis & executionē tuæ voluntatis; diligam te *ex omnibus viribus* meis, mortificans sensus meos, & applicans facultates animæ meæ ad legis tuæ obseruationē. Et siquidem tua mādāta non sūt impossibilia, da mihi vires, ad te diligendū eo modo, quo tu vis diligī, & redde mihi iucundū

& fa.

& facile per tuam gratiam, quod est impossi-
bile per meam debilem naturam. *Quidquid in
hoc colloquio posuimus, necessarium est ad ex-
plendum perfectè hoc præceptum; ad quod iuuat,
quod est dictum in Introductione huius partis, &
in Medit. 8.*

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd DEVS
Dominus noster, cupiens à nobis dili-
gi, cùm præceptum ea de re constitui-
se; vires quoq; & efficacitatē, ad id exequen-
dum, nobis præbet, excellenti quodam & ad-
mirando modo. Nam PRIMVM infinitus hic
nostri amator, desiderans amicitjā nobiscum
contrahere, & amicitiam ex vtraq; parte esse
perfectam, infundit nobis liberaliter charita-
tem, qua illum diligamus; ipsumque amorem,
quo diligimus; suggerit; internas inspiratio-
nes, quibus nos iuuat, vt illum amemus; & ita
obstringit nos, vt ea charitate vtamur, a qua
diffusa est in cordibus nostris, ad varios actus a-
moris, & eius augmentum, & ad nouas vires
acquirendas, quibus semper in amore profi-
ciamus: & ob hanc causam S. Ioannes dixit:
*Charissimi, diligamus nos inuicem, quia chari-
tas ex Deo est, qua videlicet nos inuicem di-
ligimus; & par est nos eadem vti, ad ipsum
amandum, sicut ipse vult amari.*

SED vltius pergit infinita Dei charitas, qui
his non cõtentus, ipsummet charitatis creatæ
fontem, qui est *c spiritus S.* charitas increata,

Charitas
Dei est cau-
sa nostræ.

I.

a Rom. 5. 5.

1. Ioan. 4. 7

II.

c Rom. 5. 5.

chari-

d. I. Ioan. 4.
13. 16.

c. Ioan. 14. 23

charitas viua, & amor viuus, nobis donat; vt nobis internè assistat, vt nostram charitatem conferuet, vitam illi det, illam dirigat, & ad producendos amoris actus excitet; Quamobrem S. Ioannes ait: *d cognoscimus & credimus charitati, quam habet Deus in nobis, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; & in hoc cognouimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Qui itaque habet virtutem charitatis infusam in anima sua, habet ipsammet charitatem viuam & infinitam, ipsum videlicet Deum in quo ipse est, & Deus in eo mutuo inter se amore coniuncti. Nec solùm habet Spiritum Sanctum, sed Patrem etiam & Filium, iuxta illud, quod ipse Christus dixit: *e si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ex quo fit, vt intra hominem iustum tres diuinae personae maneant, quae sunt viua charitas, fons, & exemplar eius, quam ipse habere debet; adiuuans illum ad exactè seruandas omnes veteris amicitiae leges, sicut ipse Deus illas seruat. O ineffabilis sublimitas charitatis Dei! o fons aquae viuae; qui manens in corde terreno, illud ad tertium vsque coelum eleuas, & beatissimae Trinitati coniungis! O Trinitas beatissima, quae non solùm tuos electos diligis, sed etiam amoris nomen tibi attribuis; vt ipsemet *charitas* voceris, quò omnes de eaque gloriamur. O anima mea, exulta & exili praesentia

AD AMORE ERGA DEVM. 141

titia, quia Deus tuus charitas est. Si Deus
 charitas est, quid ea potest esse melius? si is
 qui est in charitate, est in Deo, quid potest esse
 securius? & si Deus in eo est, quid potest esse
 lætius? Quid itaque diligis, si talem charita-
 tem non diligis? Et si quidem hic Deus chari-
 tatis, vult intra te manere, & te intra ipsum,
 vt te totam charitate repleat; intra & tu in
 te ipsam, & aspice infinitum exemplar huius
 charitatis, quam habes intra te; ac dilige
 Deum tuum Trinum & Vnum, sicut ipse dili-
 git se ipsum; & coniungas te illi per charita-
 tem, sicut ipsæ diuinæ Personæ vnitæ sunt
 per Essentiam; quia omnes Tres sunt vna ea-
 demque charitas. O Deus meus, ostende mihi,
 charitatem tuam, & amorem tuum da mihi
diligam te Domine fortitudo mea, refugium
meum, & consolatio mea! Diligam te, sic-
ut tu me diligis; & sicut tu vis amari in secula,
 Amen.

S. Bern. 6.
 S. Thom. in
 1. Ioan. 4.

Psalm. 17. 1.

HÆ iaculatoriæ orationes & aliæ similes,
 sunt frequenter repetendæ, vt breui obtinea-
 tur charitas, nunc eam petendo, nunc eam ex-
 ercendo; neque enim aptius vllum & effica-
 cius est medium ad obtinendam charitatem;
 quam diligere & orare, modo prædicto.

PVNCTVM III.

TERTIO considerandum, quòd infinita
 Dei charitas, quæ adeò cupit à nobis a-
 mari, etsi satis fuisset iussisse, vt ipsum
 amaremus, imò etiã, nullo adhibito præcepto,
 debuif.

Amantis
 præmia.

debuiffemus merito illum amare; nihilominus ipsi præcepto addere voluit ingentia præmia corporalia & spiritualia, tēporalia & æterna, vt magis adhuc nos fui amore obstringeret & ad se alliceret: & ideo in Deuter. cum iuffiffet populo suo, vt ipsum amaret, adiecit, *a vt bene fit tibi*; quasi diceret, non tibi mando, aut à te peto, vt me ames ob cōmodum, quod ex tuo amore ego expecto; sed propter bonū, quod tu accipies, si me dilexeris: quantum autem fit hoc bonum, ex tribus aut quatuor capitibus deprehendi potest.

*a Deut. 10.
13.*

I.

PRIMUM, quia præmium vitæ æternæ datur propter amorem, ita vt ad charitatis meritum, reddenda sit gloria. Et quamuis aliqui præstiterit opera ex se insignia, cōuerterit plures animas, passus fuerit magnas aduersitates; si tamen nō peruenerit ad tantā charitatē, alter, qui talia non fecerit, quia non potuit, non habebit parem huic gloriam. Et ita ipse Christus Dominus dixit: *b qui diligit me, ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: quasi diceret, propter amorem, quo me amat, faciam illum beatū, ad claram scilicet mei visionem illū delectans; & quod ampliùs me dilexerit, eò videbit clariùs; & gaudebit in me, & altiore in regno Patris mei thronum habebit.

*b Ioan. 14.
21.*

II.

DEINDE dona & fauores cęlestes, quæ præmium sunt huius vitæ, etiam ad amoris meritum cōmunicantur, qui disponit ad ea recipienda: vnde sapientia diuina de seipsa dicitur: *c in vijs iustitię ambulo; in medio semit arum iustitię*

c Prov. 8. 20

dici, vt ditem diligētes me, & thesauros eorum repleam. O Sapiaentia æterna, quæ iustitiam tuam & rectitudinem ostendis in reddendo premio & fauendo ijs, qui te diligunt dirige & adiuua me, vt ambulem per vias iustitiæ, & per semitas perfectionis, te viribus meis omnibus diligendo; vt efficiar dignus, quem cœlestibus tuis diuitijs dices, & mea desideria impleas thesauris tuorum æternorum bonorum.

III.

PRAETEREA amantissimus hic DEVS, philtri loco innumeris beneficijs vtitur, vt nos præueniens, *d trahat ad suum amorem & d Osea 11. 4.* seruitium, *in funiculis Adam & in vinculis charitatis;* fouens ignem amoris, lignis donorum, & flatu suarum inspirationum: quia eius in mundum aduentus fuit, *e vt ignem mitteret, cuius desiderium erat, vt arderet; vt sic haberet e Luc. 12. 49* etiam in terra Seraphinos, sicut habet in cœlo. O cœlestes Seraphini, qui igne amoris ardetis, orate Deum vestrum, vt isto igne me inflammet, itaq; illum foueat, vt semper ardeat in hac vita, donec vobis coniungar in æterna, Amen.

IV.

DENIQUE, vt ex omni parte vincti teneamur, & ligati ipsius amore; minatur nobis horrenda supplicia, si transgrediamur præceptum, ipsum diligendi. nam, deficiente amore, deficit vita gratiæ, & deficit æterna gloriæ; & loco eius ingreditur mors, & infernus; & propterea dixit S Ioan. *f. Ioan. 3. 14.* *qui non amat, manet in morte animæ, & æternū permanebit*

in

g i. Cor. 16.
22.

2. 2. q. 27. a

3.

Serm. 38. in

Cant. &

tract. de di-

ligē. Deo 6.

dicto pro-

inde.

h Eccl. 4. 12

Bern. lib. de

diligē. Deo

6. felix qui

meruit.

morte æterna, & Apostolus dixit: *g si quis Do-
minum IESVM Christum non diligit, sit ana-
thema, mar anatha*; & in die iudicij separetur
à bonis, qui illum amant; & mittatur ad ignes
æternos, qui comburent eum odientes. Ex his
omnibus cognoscam obligationem; quate-
neor Deum Dominum nostrum amare, præci-
puè propter seipsum, propter bonitatem
suam infinitam, & propter amorem quo me
prosequitur; accipiens hoc (vt ait S. Thomas)
pro motiuo proprio amoris mei; qui, teste S.
Bernardo, quando est purus, quamuis non sit
mercenarius, non caret tamen mercede; sed
potius tantò maius præmium consequetur,
quantò minùs illud quærit: Nihilominus,
ille conseruetur & augeatur; vti possumus
illis rebus, quas hic posuimus: *præmijs*
videlicet, quæ spero; *bonis*, quæ accipio; & *sp-*
plijis, quæ timeo; conficiens ex tribus hisce
bus h *funiculum triplicem*, quo me fortius
cum hoc amore constringam; ne tres hostes
mei, mundus, caro, Dæmon præualeant con-
tra me, aut separare me possint à charitate
Christi. O Christe amantissime & benignis-
sime, benedictus sit, eritque, qui te diligit;
maledictus autem est, & erit, quicumque te
odit. Quis te non diligit, Deus meus, qui te
benedictiones effundis super te diligentem
& quis te oderit, siquidem tot maledicta de-
cendunt super te odientem? Eleua, animus
mea, alas cordis tui supra omnia creatura, & sa-
per te ipsam; transcende quidquid est præ-
mij.

mium, & poena, & emolumentum tuum, & vola velociter ad intimum & supremum, quod est in tuo Creatore, dilige illum propter seipsum & infinitam eius bonitatem & charitatem; dilige illum, quia te ipse diligit, & quia cupit à te amari; gratificare illi in eo, quod à te petit, siquidem illud petit comodi tui causa: lauda & glorifica illum, quia iubet vt illum ames, viresque concedit ad implendum, quod est dignatus mandare. O Dilecte mi, quid ad te, quod ego te diligam? aut quid tua refert, vt ego tecum amicitia coniungar? mea certè refert Domine, & non tua; sed infinita tua charitas ita id vrget, atque si ita tua interesset, atque mea. O si in hoc possem tuum amorem imitari, mei omnino oblitus, vt te solùm, vnicum, & summum bonum meum diligerem! cui fit honor; & gloria, & laus continua in secula. Amen.

MEDITATIO XII.
DE INFINITA DEI MISERICORDIA.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDA primùm est *S. Thom. 1. p. 2. q. 21. a. 3.*
excellencia misericordiae diuinae, cum eius iustitia comparatae, praemittendo quod haec duo attributa appareant in omnibus donis, quae à